

Q. D. B. V.

MEMORIAM

B. KEIMANNI,

ad d. 12. Aug. M DC XCII.

post finitam in Templo vicino

Concionem matutinam

celebrabit

CHRISTIANUS WEISE,

Gymn. Zitt. Rector.



Zittavia, Typis Michaelis Hartmanni.

Ub initium superioris seculi mortuus est
Robertus Gagvinus Annalium Francico-
rum laudatissimus scriptor, qui cum addi-
ctus esset ordini, quem vocant, Maturi-
norum, in eo templo Parisiis sepulchrum
invenit. Ibi vero quieverat per annos quinquagin-
ta, postquam hominibus eo loco fodientibus occur-
reret corpus nec situ, nec putredine nimis detritum:
quæ res tantam excitavit spectantium admirationem,
ut Jacobus Burgesius, Maturinorum ordinis per Bel-
gium Provincialis, depromptum è sarcophago Ga-
gvini caput, suis adhuc lineamentis integrum, ad
Duacenos secum asportaret, eiq; locum in ordinis
Bibliotheca designaret. Nam in loculo seu forulo pa-
rietis, quam Germani cæcam appellant fenestram, re-
positum, cancellisq; ferreis munitum hoc tetrasticho
venientes in Bibliothecam hospites velut alloqueba-
tur:

*Aspice me quæso: ROBERTI carcere mentem
Hoc tenui: recolas quæ monumenta dedit.
Te sua scripta monent; speculum tibi mortis ad
hoc sum:*

Discito vita brevis, nec tibi certa manet.

Rem totam exhibet Isaacus Bullartus in *Academia
Scientiarum & Artium* verbis Gallicis ante hoc de-

decennium Amstelodami edita, *Tomo I. Lib. II. de
claris Historicis cap. VI.*

Quid autem commodius in mentem nobis
venire queat, non video, postquam anniversaria re-
dit memoria B. KEIMANNI, tribus abhinc annis ce-
lebrari solita. Sicut enim Vir meritissimus ex oculis
nostris ereptus, in primario nostro templo cubicu-
lum fuerat nactus: ita futurum pleriq; credebant, ut
caput ejusdem, terrestribus injuriis obnoxium, è con-
spectu magis magisq; removeretur. Interim elapsi
fuerant anni octo & viginti, cum neptis ejus AN-
NA DOROTHEA GEISLERIA, Viri Clarissimi
Dn. M. JOACHIMI CURTII, Collegæ in hoc Gymna-
sio Tertii privigna, liberali suo testamento constitue-
ret, ut Avi memoriam, singulis annis in hac cathe-
dra, quam vivens ipse collustraverat, docentes sa-
cram & celebratam haberent. Ita Caput ipsius à
mortalitatis interitu vindicatum, novos sibi specta-
tores & admiratores subinde pollicetur. In hoc ta-
men Keimanni conditionem præ Gagvino credimus
meliorem: quod ille juberetur esse speculum mortis:
hujus autem repetita deprædicatio non docentibus
modo vel discantibus, sed omnibus etiam ex hac
schola quondam progressis, limpidissimum vitæ spe-
culum subministret.

Ergo certè, dum ad me revolvitur pietatis hoc
officium, nequid adulationi vel oratoriæ licentiæ
tri-

tribuisse videar, neq; tamen in ipso vitæ speculo
quicquam omittatur, de laudibus Boni Præceptoris
ita dicere constitui, ut, quæ simpliciter & in ge-
nere proferentur, tanto liberius audientium iudicio
referri ad optimum hunc Rectorem possint. Placue-
runt autem aurea Senecæ verba, quæ habet *Lib. VI,
de Benef. cap. 16.* quibus expositis, & in genere bo-
ni præceptoris idea, & speciatim Keimanni gloria
cognoscatur. Sic vero loquitur:

In docendo & laborem & tædium
tulit, præter ea quæ à præcipientibus in
commune dicuntur, aliqua instillavit ac
tradidit, hortando bonam indolem ere-
xit, & modo laudibus fecit animum, mo-
do admonitionibus discussit desidiam.
Tum ingenium latens & pigrum, inje-
cta, (ut ita dicam) manu, extraxit: nec
quæ sciebat, maligne dispensavit, quò
diutius esset necessarius, sed cupiit, si
posset, universa transfundere.

Cæterum talia qui judicaverint digna, quibus se-
mihorulæ spatium impendant, ut, quicquid materiæ
causa facturi sunt, dicentis etiam causa libenter faci-
ant, officiosè & peramanter rogantur. P. P. è

Gymnasio Zittaviensi Dom. X. post. Trin.

M DC XCII.